



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

III. Oblatio sui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

III. *Oblatio sui.*

Sed quid tibi nunc offeram; ô Rex seculorum immortalis! pro tanto munere & honore, quo me modò dignatus es? quid rependam inops & pauper servulus doni tanto Rege dignis destitutus? quid habeo nisi duo æra minuta, corpus scilicet & animam, quæ dedisti mihi? Ecce illa libens præsentio: castrum animæ meæ totum tibi consigno, claves offero, portas aperio, sinum cordis pando, meq; & omnia mea integrè tibi subjicio. Ingredere & dominare in medio inimicorum tuorum, id est, passionum & vitiorum meorum, eosdè que si placet expelle. Libera me à servitute & jugo tyrannorum istorū, qui vinculis peccatorum me captivum tenent. Fugiat à facie tua dæmon omnipotentiâ tuâ perculsus, & regnum ejus, quod consistit in malitia. Fugiat mundus & regnum ejus, quod consistit in fallacia. Fugiat victa Caro & regnum ejus, quod consistit in voluptatis illecebra; nec unquam deinceps contra me prævaleant. O mundi & stygis domitor! virtute hujus divinissimi Sacramenti, impleatur in me, quod

quod dixisti : Regnum Dei intra vos esse
adveniat hoc regnum tuum & semper in
me vigeat. Assistite mihi descendentes ex
aula regia cœlestes aulici, Throni & Do-
minationes, Cherubini & Seraphini, ce-
teri que Spiritus Angelici : ad Regem no-
strum dignè excipiendum ac tractandum
me adjuvate, tepiditatem meam excurite,
atque ad amandum & laudandum eum
mentem succendite.

IV. *Admiratio.*

SI Regina Saba videns sapientiam Salo-
monis, tota admiratione defixa, non
habebat ultra spiritum : quo stupore me
repleri par est, dum admirandam potentiam,
sapientiam & bonitatem tuam, in
hoc Sacramento manifestatam & occultatam
intueor ? O Rex sapientissime, &
plus quam Salomon; licet omnia magna-
lia tua incomprehensibilia summâ admi-
ratione me compleant; præ omnibus ta-
men nimis quam admirabilem reddidit
oculis mentis meæ tanta sublimitas & tan-
ta humilitas; tanta majestas & tanta chari-
tas erga nos mortales, quâ magnitudinem
tuam infinitam in Sacramento abscondis.

immo